

- cipueque posteris, sic habent illa ingenia nisi publico latrocinio ac per dementiam opprimi non potuisse.
- 5 Quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus tenui atque indocto patre in haec tempora vitam
- 6 praestiti studiis tantis honestiorem. Quod equidem 5 gentis nostrae reor, quae fato quodam bonorum parce fecunda, quos eduxerit tamen, quemque ad sua celsos habet. Velut Severum ipsum, quo praeclarior in re-
- publica fuit nemo; quem quamquam exacta aetate
- mortuum iustitio elogioque lugendum sanxere, struen- 10 tes illum iustum nasci aut emori minime convenisse.
- 7 Scilicet quod corrigendis moribus nimium, postquam ad veterum innocentiam quasi mentium sanitatem per-
- 8 venerant, clementem habuere. Ita honestas, quae principio anxia habetur, ubi contigerit, voluptati luxuriae- 15 que est. Pescennium Nigrum apud Cyzicenos, Clodium Albinum Lugduni victos coegit mori; quorum prior Aegyptum dux obtinens bellum moverat spe
- 9 dominationis, alter Pertinacis auctor occidendi, cum eo metu in Britannos, quam provinciam a Commodio 20 meruerat, transmittere niteretur, in Gallia invaserat
- 10 imperium. Horum infinita caede crudelior habitus et cognomento Pertinax, quamquam ob vitae parsimoniam similem ipsum magis ascivisse plures putent: nobis
- 11 mens ad credendum prona acerbitati impositum. Nam 25
- cum quidam hostiam, quem tamen, uti bellis civilibus solet, condicio loci ad Albinum detulerat, causa ex-
- posita novissime conclusisset: 'Quid, quaeso, faceres, si
- 12 tu esses?' ille respondit: 'Ea perferrem, quae tu.' Quo
- dicto factoque durius nihil bonis: cum sanctique huius- 30